

177

4

U. g. 17, 5



16

Quod DEO fortunante FELICITER cedat!

DISCURSUM JURIDICUM
DE
SPONSALIBUS,

DECRETO ET AUTHORITY

Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Jctorum
Ordinis in Almâ SALANA,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,

DN.

GEORGIO ADAMO *Struben/*

Jcto & Antecessore longè celeberrimo, Consiliario Saxo-
nico, Facultatis Juridicæ Seniore, Curia Provincialis ac
Scabinatus Assessore gravissimo;

*Dn. Patrono, Promotore ac Præceptore suo perpe-
tuo observantia cultu æternum venerando,*

Loco Exercitii Academici

Publico Eruditorum examini submittet

HENRICUS GOTHOFREDUS *Gundelfinger/*

NÖRDLINGENSIS, A. & R.

Ad diem Octobris

ANNO c1o 1oc LX.

JENÆ, Literis SAMUELIS KREBSII.

15



Leo Imp. Novell. 98.

Humani ingenii voluptas & lætitia ad genialis
complexus & utriusque sexus foetum re-
spiciens progressum facit: Sponsorum e-
nim Parentes dum se viscerum suorum
foetus visuros, & Sponsi ipsi, dum se in lu-
cem edituros generis successores sperant,
multiplici voluptate perfunduntur.



N. T. F.

De Sponsalibus.

Proëmium.

Quia mens frustra vacans, nihil bonorum parit (a) & honoris augmentum non ambitione, sed labore ad unumquemque convenit devenire, (b) ideoque specimen quoddam studii mei juris in lucem edere decrevi. Cogitanti autem mihi de materiâ juris utili, ac seculo huic nostro accommodatâ, publicæ disquisitioni subjiendâ, ut verum fatear, nulla magis arrisit, quam materia Sponsaliorum, hujus jam necessitatem & utilitatem pluribus demonstrare nolo, cum liquidò & meridianâ luce clarius pateat, quanta hujus materiæ sit utilitas, quanta necessitas: Ne autem illotis quod ajunt manibus (c) rem ipsam statim tractem, cum difficile sit, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio, (d) meritò Imperatorem Justinianum sequor, (d) atque animum ad Altissimi converto adiutorium, & in nomine ejus, in cujus ad omnia consilia, omnesque actus semper progredimur, rem ipsam aggredior, ac Tuâ JESU assistentiâ nitör.

(a) *Novella 133. l. 6.* (b) *l. 14. C. de re milit. l. fin. C ad L. Jul. repetund.* (c) *Cajus l. fin. ff. d. O. J.* (d) *c. principatus 25. caus. 1. q. 1.*
(e) *l. 2. in pr. C. d. off. Prof. Præf.*

A 2

THESES



THESIS I.

Micet in jure nostro potior rerum sit quam verborum cognitio, (a) prior tamen verborum ratio est habenda, (b) Ex notatione enim nominis sæpe inducimur in cognitionem rei, admonente *Aristotele*, (c) Quapropter & mihi de Sponsalibus disputaturo conveniet originem eorum è sedibus suis brevissimè eruere.

(a) *l. scire leges. 11. ff. de Legib. l. 13. §. 2. ff. de Excusat. l. si quis ita. 3. §. 9. ff. d. adim. vel transf. Legat.* (b) *arg. l. juri in pr. ff. d. J. & J. l. 1. §. 1. ff. d. pact.* (c) *3. Metaphys. c. 2. & 2. Top. 6.*

II.

Si itaque proprietatem nominis exactè limare volo, Sponsaliorum origo est à spondendo; Mos enim erat apud veteres Romanos, ut sibi futuras uxores stipularentur, (a) & sicut verbum spondeo, veteres actibus maximi momenti, eorum firmandorum gratia adhibere fuerunt soliti, (b) ita pariter etiam sponsalia, tanquam præparatoria maximi momenti contractus matrimonialis, stipulationibus antiquitus celebrata fuerunt, (c) Hinc etiam omnis stipulatio promissioque dotis, sponsio appellatur, unde & sponsi sponsæque appellatio originem sumpsit, (d) Sponsa autem dicebatur, non quod sponderet, sed quod sponderetur.

(a) *l. 1. 2. ff. d. sponsalib. A. Gellius lib. 4. Noct. At. c. 4. l. 7. ff. d. V. S.* (b) *l. sponsio ff. d. V. S.* (c) *Wesemb. in c. ff. b. r. n. 6. in pr.* (d) *l. 3. cod.*

III.

Verbum sponsalia variis modis accipitur, denotat enim I. repromissionem futurarum nuptiarum. (a) II. Arrhas sponsalicias, seu munera à sponso data sponsæ. (b) III. donationem propter Nuptias. (c) IV. denique sumuntur

tur

tur sponsalia pro conviviis, quæ in sponsalibus adhibebantur, Græcis *ωγγαμία* dicta. (d) Hoc in loco prima significatio accipienda est.

(a) *l. 1 ff. de sponsalib.* (b) *l. 1. in fin. C. si nupt. ex rescripto pet. & in rubr. C. si Rector provinc. vel ad eum pertinent. spons. ded.* (c) *l. 2. d. secund. Nupt. & l. 3. d. Don. ante Nupt. l. 8. C. d. prad. min.* (d) Paulus Cypræus *d. sponsalib. c. 2. §. 16.*

IV.

Sunt autem sponsalia mentio & repromissio futurarum nuptiarum, (a) h. e. mutua promissio & reciproca de præstando consensu, (b) & de conjugio postea solenniter consummando; hinc ab Ulpiano rectè appellantur spes matrimonii. (c)

(a) *l. 1 ff. d. spons.* (b) Nob. Excell. atque Consultissimus Dn. Præses, Præceptor atque Patronus meus æviterno honoris & amoris cultu prosequendus, *Syntagm. Jurispr. Exerc. 29. §. 2.* (c) *l. si puella 6. ff. b. t. l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. d. Adult.*

V.

His verbis definitionis ostenditur differentia inter sponsalia & nuptias; sicut enim aliud est mutuam pecuniam dare: aliud promittere se daturum, (a) ita aliud est *Gallicè eporser*, i. e. nuptias contrahere, aliud *fianser*, i. e. despondere, vel promittere se contracturum: (b) Germani sponsalia *Verlobnis/ Ehgelübb*, item *sponsum & sponsam Braut und Bräutigam* appellant: Maritum verò & Uxorem, *Ehmann und Eheweib/ Gemahl/ Gemahlin*.

(a) *l. 68. ff. d. V. O. Dn. Harprecht. ad rubr. b. t. n. 4.*
(b) Jul. Pacius *Isagog. in Pandect. b. t.*

VI.

Sponsalia contrahere possunt omnes, qui & Nuptias, prohibito enim matrimonio, prohibentur sponsalia, & ubi nuptiæ interdictæ sunt, ibi etiam sponsalibus, quæ sunt tanquam præparatoria, & aditus nuptiarum, locus

esse nequit. (a) Hoc tantum interest, quod in sponsalibus contrahendis ætas contrahentium non sit definita, sicut in matrimoniis, quapropter impuberes à primordio ætatis rectè sponsalia contrahunt, si modo intelligant quid agant, i. e. (*ut lex ipsa explicat*) non sint minores quam septem annis. Minores enim septem annis, cum non intelligant quod agunt, sponsalia contrahere nequeunt, (c) Quod adeò verum est, ut licet in tali impubere seu infante, ante completum septimum annum, vel major etiam intellectus, quam in puero octavo vel novem annorum deprehendatur, vel, ut dici solet, malitia ætatem suppleat, nihilominus sponsalia ejus existant inutilia & irrita. Nam si minor septem annis ob nimiam ingenii maturitatem ad sponsaliorum contractum admitteretur, otiosa atque elusoria redderetur Legum ac Canonum definitio, quæ certa ætas contrahendis sponsalibus præscripta est; quilibet enim, qui sponsalia à puero sex annorum contracta volet servare, contendere poterit, puerum istum, quamvis certa ætas sponsalibus sit definita, nempe septem annorum, fuisse tam præmaturo intellectu præditum, atque ita sponsalia celebrare potuisse. (d) Ex quibus consequens est, quod ea sponsalia, quæ Parentes vel Cognati infantibus in cunis vagientibus parant, sint irrita & nullius momenti, nisi ipsimet liberi, postquam venerint ad annos discretionis, consenserint; (e) Unde si ambo contrahentes, ad pubertatem perveniunt, habent plenam dissentiendi facultatem, si modo res etiamnum salva sit, i. e. nisi malitia ætatem supplente concubitus accesserit, aliàs durante impubertate non fit dissolutio. (f)

(a) *l. tutor 15. l. omnis 16. ff. de spons. l. 60. §. quamvis ff. d. R. N. Nobilissimus Dn. Præses d. Exerc. 6. 3. Everhard. à Mid-
delburg. loc. 128. n. 3. (b) l. 14. ff. b. t. c. pen. de spons. impub.
Wesemb.*

Wesemb. in *π. b. t. n. 4.* Joh. Calvin. *Lex jurid. verb. sponsalia.*
 (c) *c. 12. & c. ad dissolv. 1. 3. d. despons. impub.* (d) Treutl. *Vol.*
2. D. 6. θ. 4. lit. d. ibiq; Bachovius. Harprecht. *ad Rubric. d.*
Nupt. n. 9. (e) *c. 30. q. 2. c. 1. 2. & 4. de despons. impub.* Cypræus
de sponsalib. c. 9. §. 3. n. 2. Bocerus *cl. 1. d. 3. θ. 5.* Kubach. *Quæst.*
polit. Jurid. cent. 3. Dec. 1. q. 5. (f) *c. d. illis 7. c. 8. & 9. d. despons.*
impub. Joh. Kitzel. *Synops. Matrim. cap. 3. theor. 2. lit. f.* Joach.
 Schultz. *Synops. Juris Univ. civil. Vol. 1. Notab. 25.*

VII.

Sponsalia constant ex nudo consensu contrahentium, (a) Ideoque fieri possunt inter absentes, (b) I. per Internuntium, cujusmodi internuntii appellantur proxenetæ Ruppeler / Mäckeler / (c) qui non aliter huic rei operam dare debent, quam si speciale mandatum habeant, & si certa persona designetur: Cujus rei exempla apud Veteres reperiuntur innumera, in Sacris habemus exemplum Abrahami, ille ablegavit internuntium, qui filio suo Isaco Rebeccam uxorem expeteret. (d) In profanis, Honorius apud Claudianum refert, se legatos misisse, qui sibi Mariam Stiliconis filiam pro uxore postularent. II. per epistolam, peræque enim valet quod scriptura, quam quod vocibus linguam figuratis significatur, (e) & hoc etiam apud veteres in usu fuisse docet Historia Macabæorum (f). Sic apud Zafium (g) aliquis scripsit ad puellam: *Ego annulum mitto in signum certissimum, me nullam aliam præter Te, uxorem ducturum.* Virgo annulum recipit, & præsentem matre promissioni consentit, & sic Zafius respondit sponsalia per hoc contracta esse.

(a) *l. 4. ff. b. t.* (b) *l. denique d. R. N. d. l. 4. §. 1. b. t.* (c)
 Consultissimus atque Excell. Dn. Præses *d. Exerc. 29. θ. 22.* Dn.
 Hahn. *ad Wesemb. π. Tit. d. proxenet.* Herm. Vultejus *Jurispr.*
Rom. lib. 1. c. 18. Cujac. *lib. 15. obs. 18.* (d) *Genes. 25. vers. 2.* (e) *l.*
33. ff. de O. & A. (f) *l. 1. c. 10. v. 54.* (g) *Consil. 9. & 10.*

VIII.

VIII.

Sed hoc probè notandum, quod omnia hæc sponsalia cum consensu parentum fieri debeant, quorum potestati sunt subjecti, (a) Sponsalia enim consistere nequeunt, ait Paulus, nisi consentiant omnes, quorum in potestate sunt, illudque non tantum necessarium est de Jure Civili, sed & Divino, (b) Naturali (c) & Canonico. (d) Unde etiam ex *Constit. Elect. Aug. Anno 1580.* promulgata: Parentum consensus necessariò requiritur, adeò ut liberi cujuscunque sint ætatis sine consensu patris & matris, aut his deficientibus, avi aut aviæ nuptias contrahere prohibeantur, & si contractæ sint, pro clandestinis & irritis habeantur, etiamsi testibus præsentibus contractæ sint. Idque statuit die Churfürstliche Sächsische Ordnung de Anno 1624. Tit. vom Ehgelöbnis.

(a) l. 7. §. 1. ff. de sponsalib. junct. pr. Inst. d. Nupt. (b) Gen. 24. 27. 28. Exod. 21. 22. Deut. 7. v. 3. ubi dicitur Parentibus potestas datur elocandi liberos, usq; conjuges comparandi. (c) l. 1. ff. d. J. & J. l. 1. 2. ff. d. obs. parentib. & patron. prest. Liberi enim meritò reverentiam filialem præstare tenentur Parentibus lege natura: Et æquum est, ut Parentes, qui ad illum usque ætatem liberos educaverunt, hoc honoris habeant & sponsalibus consentiant, cum liberi secundum Deum se ipsos Parentibus debeant. Borch. d. grad. p. 38. Hænon. Disp. 2. b. 3. (d) c. aliter. 30. q. 5. inde Jure Can sponsalia sine Parentum consensu sunt nulla, sed Nuptiæ consummate subsistunt. Amplissimus atque Consultissimus Dn. Præses d. Exerc. 29. b. 23. Arumæus Exerc. Inst. 2. b. 9. D. Gerhard. Disp. 2. q. 3. Martin. Rümelin. Exerc. Inst. 2. b. 3. lit. c.

IX.

Matris consensus de Jure Civili quidem non est necessarius, quoad effectum patriæ potestatis, (a) impiè tamen & iniquè faciunt liberi, dum spreto matris consensu, sponsalia contrahunt; quia æqualis debetur reverentia patri

patri & matri, & utriq̄ue Parenti idem debetur honor, (b) Inde etiam *Tobias cap. 4.* pulchram adducit rationem, cum inquit: Memor esto, quanta pericula passa sit propter te in utero suo, ex qua clytemnestra id juris sibi tribuit apud *Euripid. in Iphig.*

Egone, quos peperit liberos, non elocem? præsertim patre defuncto, in nuptiis filiaè necessariò matris consensus requiritur, quod confirmat textus Juris Civilis, (c) Vivente autem Patre nullum est dubium, quin auctoritas Patris præferatur.

(a) §. ult. d. p. p. §. femina *Inst. d. Adopt.* (b) *secund. 4. præcept. decalogi* & per l. 1. ff. de obseq. Bronch. cent. *Miscell. 1. ass. 100.* Wurmserus *Nucl. controvers. disp. 2. §. 9.* (c) l. 4. ff. de *Curat. fur. l. 2. C. d. Nupt.* Dn. Sithmann. *Nucl. Juris Civil. ad h. r. p. m. 104.* (d) Schneidevvin. *d. Nupt. lc. n. 3 §.* Harpr. *in pr. b. t.*

X.

Etsi verò liberi parentum arbitrio sponsalia contrahant, cogi tamen nequeunt ad contrahenda sponsalia, cum personis, quas ipsi Parentes elegerunt; sicut enim filius invito Patre uxorem ducere non potest, ita nec Pater filium invitum & dissentientem cogere potest ad virginem ducendam quam non amat, (a) quamvis aliàs magnæ sit patriæ potestatis vis & autoritas, adeò ut olim Parens vigore illius etiam jus vitæ & necis in liberos habuerit, tanta tamen non est ut Parentes propterea liberos in vincula nuptiarū, à quibus fortè abhorrēt, conjicere debeant aut possint, (b) semper n. requiritur, ut ipsi conjungendi, se desponderi sciant & consentiant, (c) aliàs permissum est liberis, Parentum conventiones non præstare, etiamsi Parentes se vinculo pœnæ vel juramento obstrinxerint, (d) quod huic vel illi puellæ filium suum in matrimonium dare velint, (e) rectè enim liberi à Parentibus dissentire

B

possunt

possunt, si iustæ adsunt causæ, (f) constat quippe quod matrimonia oportent esse libera, non coacta, quæ plerunque infelices & tragicos exitus habere solent. (g) unde non iniquè Theologus quidam scripsit: *Das es teufflich Rechte sey/die Kinder zur Eh zwingen/da doch kein Herz ist im Kind.* Quin etiam licet liberi, nec justam, nec sufficientem causam dissensus sui, in oblatam matrimonii conditionem à Parentibus, afferant, interim tamen isto conjugio prorsus abhorreant, sancteque affirmant, sese à personâ illâ, quam Parentes ipsi destinarunt, occulto quodam & arcano odio abhorrere, nec eam per naturæ vires tanquam conjugem, amore prosequi posse; liberi nihilominus à Parentibus, ad tales nuptias ineundas cogi nequeunt. (h) Econtra verò, si liberis honesta matrimonii conditio oblata fuerit, nec justam dissentendi causam Pater habeat, & tamen repugnat, adeò ut liberi persuasionibus & precibus, ipsius consensum impetrare non possint, tunc ipsis Magistratum adeundi, & ab eodem auctoritatem impetrandi facultas permittitur, (i) & sic factum Patris recusantis à Judice suppleri potest. (k) Cum primis si ad legitimam ætatem liberi pervenerint, uti pluribus exponit *Magnificus atq; Nobilissimus Dn. Richter, Jctus celebratissimus, Promotor atque Patronus meus summe venerandus.* (l) Quo spectant verba *B. Lutheri: Ehe ich wolte solchen baurischen Muthwillen in väterlicher Macht leiden von solchen groben Eunzen/(welche von der Eh ihre Kinder zwingen) wolte ich lieber ihren Kindern rathen / und sie heissen/hinter solcher Väter willen verloben. Denn väterliche Macht ist den Vätern von Gott gegeben / nicht zum Muthwillen noch zum Schaden der Kinder / sondern dieselbige zu fördern und zu helfen / und wer der väterlichen Macht anders brauchet/ oder*

oder den Kindern zur Hinderniß/ der verleure sie damit/ und
soll nicht Vater/sondern Feind und Verderber seiner eignen
Kinder geachtet werden.

(a) *l. filiofam. 13. ff. de sponsalib. l. non cogitur 21. ff. d. R. N. l. 22. ff. d. spons. l. nec filium C. d. Nupt.* (b) Nobilissimus, Excell. atque Consultissimus Dn. Joh. Kob, Philosoph. atque Jctus celeberrimus, Almæ Academiæ Altdorffinæ P. P. emeritissimus, Consiliarius Reip. Noriberg. dignissimus, Fautor atque per biennium Præceptor meus atatem venerandus, *in prælect. publ. ad Tit. Nupt. D. Fomann. Disp. 3. §. 4.* (c) *l. hac ita 5. ff. h. t. l. 7. §. 1. & l. 11. ff. eod. Locamer. Quest. Justin. 25.* (d) *l. 334. ff. d. V. O. l. 5. C. de Instit. & Subsist. c. 29. X. de sponsalib.* (e) *c. non est obligatorium 58. d. R. J. in 6to. l. non dubium 5. C. d. LL. c. 31. q. 2. Dn. Bocerus class. 1. Disp. 9. §. 6. Schneidevv. d. Nupt. licit. n. 42.* (f) *c. 17. X. de sponsalib.* (g) *c. cum locum 14. Sc. requisivit X. d. spons. D. Luther. in rescripto, daß die Eltern die Kinder zur Ehe nicht zwingen. & Tom. 5. Jenens. von Ehe sachen art. 5. ibi: Dann Gott hat Mann und Weib also geschaffen/ daß sie mit Lust und Lieb von Herzen gerne zusammen Kommen sollen.* (h) *arg. c. d. neptis 3. caus. 31. q. 2. c. præterea X. de sponsalib.* (i) *l. 19. d. R. N. l. 18. C. d. Nupt.* (k) *l. 1. C. si in causa judic. pign. Sc. Cypræus d. sponsalib. cap. 6. §. 3. Qui Responsum eâ de re exhibet. ut & Carpzov. lib. 2. def. 53. n. 16. (1) Decif. 8. n. 50. 51.*

XI.

Sed an liberi, ob non requisitum Parentis consensum, in contrahendis sponsalibus exheredari queant, scrupulosa est quæstio? De filio videtur res esse expedita, & illum, sive major sit sive minor XXV. annis, hanc ob causam de Jure Civili exheredari non posse; quod etiam dicendum est de FILIA; dicitur namque *in Novell. 15. c. 3. §. 11.* de illa, eam justè exheredari, si luxuriosam vitam degere elegerit, h. e. si turpiter & cum flagitiolâ fœditate vivere, (a) aut multorum libidini patere maluerit, (b)

B 2

quam

quam descriptionem ridiculè explicat Glossa ibi ad verba: *Qua multorum libidini patet, i.e. qua admiserit plures quàm XXIII millia hominum.* Nihil autem dicitur de neglecto consensu, hinc rectè illis consequentia negatur, qui ex *d. Nov. §. 11.* ita colligunt & argumentantur. Quia filia in corpus peccans, sineq; consensu Parentū nubens, non potest exheredari, si postquam usque ad XXV. annorum aetatem pervenerit, & Parentes distulerint eam marito copulare, propterea, quod tunc non suà culpā sed Parentum commisisse cognoscatur. E. potest exheredari, si ante XXV. annum nubat & Parentum consensum omittat. Hæc namque si fuisset mens Imperatoris, id in verbis præcedentibus, quibus ista posteriora opponuntur expressisset. Et hæc est sententia *Excell. atque Consultissimi Dn. Præsidis, (c)* Quam etiam amplectitur *Clammerus, (d)* quando scribit: *Thut sie es aber/ehe dann sie 25. Jahr alt wird / so mag ihr der Vater den Brautschas wegern/aber ihrem Erbtheil kan er ihr nichts abschneiden.* Præsertim si honestis & familiæ Parentum dignis nupserit, exheredationem omninò cessare tradunt *Dd. comm. (e)*

(a) *l. 9. C. d. inoff. test.* (b) *Can. 16. distinct. 34.* (c) *Syntag. Jurispr. Exercit. 32. §. 34.* *Rittershusius in Novell. part. 6. c. 3. n. 17.* *Cujacius l. 3. §. 5.* (d) *in Compend. Juris tam Civ. quàm feud. Tit. 43. n. 28. 29.* (e) *Carpzov. l. 2. Jurisp. Tit. 5. def. 45. n. 5.* *Schnobel Diss. ad ff. 14. §. 8.* *Gail. l. 2. §. 95. n. 17.*

XII.

Quod liberi in sponsalibus, Parentum consensum explorare debeant, ex prædictis *§§.* satis nunc constat, de Tutorum consensu jam dicendum venit, quod & ille in pupillorum contrahendis sponsalibus sit explorandus, cum Tutores Parentum munus & locum sustineant, & eorū potestas à Patria in omni re parum absit, consequens est,

est, etiam eos honorandos, & in consilium adhibendos esse. (a) Cæterum si hodiernam consuetudinem spectamus, rectè Tutorum consensus adhibendus, non tam ob honorem, qui debetur illis, quàm propter imperitiam minorum, & boni consilii inopiam: ipsa quoque naturalis ratio suadet, ut in re tanti momenti, & fœdore sanctissimo & indissolubili à quo totius vitæ felicitas pendet, Tutoris consensum adhibeant, cui consentit Constitutio Friderici II. Regis Daniæ, & Friderici Palatini, de quibus refertur, Regem Daniæ Waldmarum expressè cavisse, si pupilla absque Tutorum consensu nubat, eam esse mulctandam bonis paternis: Et ordinatio Ducat. Luneburg. c. 3. ita habet: So sollen die Pfleg Kinder / so ihre Vormünder haben / ohne dero Vorwissen / Rath und Belieben sich nicht verhehlichen / also daß wann eine Mannsperson unter 22. und ein Jungfr. unter 18. Jahr darwider handeln / sie beyderseits biß oberwehnte Jahr gänzlich erfüllet ihrer Güter nicht mächtig seyn / sondern dieselbe biß dahin durch die Vormünder verwaltet werden sollen / (b) Ejusmodi statutum strenuè vovet, *Patria mea, Respublica Nördlingensis*, ut rescripsit *Beatus Dn. Kyllinger Jctus celeberrimus, Consiliarius ejusdem Reipubl. desideratissimus*, consimilis constitutio est in Ducatu Wirtembergico c. 1. §. ult. hæc verba reperiuntur, und was hie von der Kinder Gehorsam gegen ihren Eltern in Ehverpflichtung geordnet / das soll auch von den Waisen gegen ihren ordentlichen Vormündern und nechstgesippten Verwandten verstanden werden / *plura Exempla videre sunt in Beati Dn. Georgi Christoph. Waltheri Jcti & Consilarii Reip. Rotenburgo-Tuber. Postilla Harmonica Theologico, Juridico Politico Philologia ad Evang. Dom. 2. post Epiphan. p. m. 142.* Ego brevitatis causâ hæc tantum in medium adducere volui.

(a) Beust. *d. matrim. c. 49. S. cert. 4. J. qui test. tur.* Arni-
fæus *d. J. Connub. c. 3. sect. 11. n. 3.* Locammer. *Quest. 24.*

(b) Dn. Hahn. *ad Wesemb. τ. b. t. p. m. 202.*

XIII.

Curatorum autem consensum non requiri certi & manifesti juris est, (a) Quia enim Curator non personæ, sed rebus datur, nequaquam hujus ratio in sponsalibus minorum habenda, nec ejusdem consensus est necessarius ex rescripto Severi & Antonini, quod hisce verbis refert Paulus Jctus: *Ad officium Curatoris administratio pupilla pertinet; nubere autem pupilla suo jure potest.*

(a) *l. in copulandis 8. C. d. Nupt. l. sciendum. 20. ff. d. R. N.* Harpr. *in pr. Inst. d. Nupt. n. 156.* Anton. Peretz Jctus clarissimus, *pralect. in Cod. lib. V. b. t.*

XIV.

Consensui nihil tam contrarium est, quàm *vis & metus*, (a) propterea omnium interpretum recepta sententia est, quemadmodum metum passis in quolibet contractu subvenitur, sic quoque sponsalia, metu contracta nulla esse; etsi jurejurando sint confirmata. (b) Imò si Adolescens aliquis deprehensus sit in rebus venereis, & per Parentes (ei mortem minitantes) compellatur promittere, se illam ducturum, filius ex eâ promissione non obligatur, & certum est non teneri, neque sponsalia esse rata, nisi sequatur copula carnalis, quæ metum præcedentem purget, & novum consensum inducat: (c) Quæ sententia convenit præscripto legis Mosaicæ, jubentis compressas ducere, aut dotem eis attribuere, non propter metum, sed propter vitium illatum, (d) *Quo spectant verba Lutheri: Infall/wenn einer begriffen wird mit einer Jungfrau/das man sie ihm mit der Art gibt / soll solcher Zwang auch gelten? Dieser Zwang gilt nicht / dann die Jungfrau sibe*

sihet das es Zwang ist/ und wird nicht betrogen / doch ist es
recht/ das man ihn zwingt/ sie zu behalten/ umb des willen/
das er sie zu nicht gemacht hat. Quæ sententia et si æquitate
nititur, tamen haud scio, an jure Romano & nostris mo-
ribus defendi possit? de qua sententiâ vid. *Cyprus.* (e)

(a) *l. nihil. 116. ff. d. R. J.* (b) *c. 14. 15. X. d. spons. c. signif. 2.*
X. de eo, qui duxit in matr. arg. l. 4. § 7. ff. d. spons. (c) *Gail. lib. 2.*
c. 93. n. 28. (d) *Deut. 22. v. 28. 29.* (e) *d. sponsalib. c. 13. §. 25.*

XV.

Sponsalia sunt duplicia: De præsentis, & de futuro.
De præsentis, (sic dicta quasi concepta per verba præsentis
temporis) veluti duco Te in uxorem. De futuro quæ con-
trahuntur per verba futuri temporis, ut ducam, accipiam
Te in uxorem. (a) Hæc distinctio Jure Canonico quidem
introducenda est, sed à multis pro vana habetur, & non so-
lum Jure Civili incognita, (b) sed & ipso *B. Luthero* displi-
cet, in libello von Ehsachen/ quem citat *Carpzov.* (c) *cujus*
verba sunt hæc: Sie haben ein lauter Narrenspiel getrieben
cum sponsalibus de præsentis & futuro, damit haben sie viel
Eh zurißten &c. sonderlich weiß der Pöbel von solcher behen-
den Grammatica nichts/ das das accipio & accipiam zwey-
erley sey/ er fähret daher nach unserer Sprachart/ und spricht:
Ich will dich haben/ du solst mein seyn/ das ist iezo die
Stund ja gesagt ohne weitem Aufzug und Bedencken. Ex
quibus consequitur, sponsalia de præsentis, propter con-
sensum præstitum, hæc definitione non contineri & im-
propriè sponsalia esse; (d) Verùm quicquid sit, hæc distin-
ctio sponsaliorum de præsentis & futuro non omninò est
rejicienda, illius enim divisionis utilitatem non difficile
erit ostendere, (e) accedit quod insignes istius dentur ef-
fectus.

(a) *c. si inter virum. 31. d. spons. c. pen. cod. c. 1. d. spons. duo.*
(b) *arg.*

(b) arg. l. 1. ibi futurarum. l. 6. ibi spem. C. eod. Matth. Stephani Cent. 1. Q. Inst. Imp. § 7. Dn. Hahn. ad Wesemb. π. n. 3. Suthold. Diff. 2. apb. 9. Treutl. Diss. ad b. i. b. lit. D. Liebenthal. Exerc. Polit. 2. §. 15. 16. (c) lib. 2. Consi. tit. 2. defn. 18. n. 4. (d) c. 22. c. pen. X. d. spons. Kitzel. Synops. Matr. c. 5. theor. 11. lit. B (e) id Dn. Carpz. d. lib. 2. Jurispr. Consi. tit. 10. def. 144. n. 3. Dn. Beer Diss. 2. apb. 9. & 10. Anton. Matthæi Diss. d. sponsalib. §. 13.

XVI.

Effectus Sponsaliorum de futuro est obligatio, quâ sponsus sponsæ, & sponsa vicissim sponso ad matrimonium, ille ad ducendum, hæc ad nubendum tenetur. (a) Sponsalia itaque hæc spem solùm matrimonii ostendunt, non matrimonium, atque idcirco non tantum mutuo consensu, vel mutuâ voluntate, sed & alterius pœnitentiâ dissolvi possunt, si justæ adsunt causæ, etiam si jusjurandum intervenerit. (b) Effectus autem sponsaliorum de præsentem est, ut pars invita ad consummandum matrimonium possit compelli, ob præsentem jam consensum conjugalem, inde præsens matrimonium ostendunt, quamobrem nec mutuo consensu, nec alterius pœnitentiâ dissolvi possunt, (c) nisi Gallicus, Epilepticus, Phreneticus, aut alius incurabilis, contagiosus vel desperatus morbus accesserit, ut alter ad alterius ingressum merito exhorrescat. (d) Durius tamen hæc parte loqui videntur, qui dicunt sponsalia de præsentem esse verum matrimonium. Nam si matrimonium sunt, qui poterint esse sponsalia, si sponsalia, qui matrimonium, quare malim ita dicere, Sponsalia de præsentem non sunt verum & ipsum matrimonium, sed pro eo habentur, quantum ad fidem invicem debitam. (e)

(a) Nob. Dn. Præses Exerc. 29. §. 11. (b) l. ult. inf. C. h. l. 2. C. de repud. l. 2. S. 2. d. divor. c. 1. de jurejur. Beust. d. sponsalib. part. 1. c. 10. (c) c. pen. b. c. 1. de spons. duor. (d) c. ult. X. de conjug. leprofor. Magnif. Nobiliss. atque Consultissimus Dn. Richter,

ter,

ter, Jctus ad Com. Palat. Caesar. Celebratissimus, nec non Collegii Jurid. Ordinarius eminentissimus, Consiliarius Saxonicus. Curia Provinc. & Scabinatus Assessor meritissimus. Promotor atq; Fautor meus æternum venerandus. *Decis. s. n. 13. (e) Vid. c. ex publico d. convers. conjug. c. debitam d. bigam. non ordin.*

XVIII.

Sponsalia de futuro, per sponsalia secunda de presenti ipso jure dissolvuntur, nisi ad priora nempe sponsalia de futuro, accesserit coitus, quia tum in matrimonium transeunt, (a) Sponsalia verò de presenti, per alia de presenti postea contracta, dissolvi nequeunt, etiam si ad posteriora contracta copula carnalis accesserit, (b) Ratio est quia priora sponsalia de presenti pro vero matrimonio habentur, licet copula carnalis non inter venerit, Solus enim consensus non concubitus matrimonium efficit, (c) facit huc quod talis sponsa sit quasi loco uxoris, sponsus Mariti, & quod in dote data gaudeat jure praelationis, (d) unde sequitur, sponsam de presenti cum alio rem habens non tantum adulteriù committere, quia nec matrimonium qualecunq; nec spem matrimonii violare permittitur, sed etiam illam jure mariti à sponso accusari posse: (e) Sponsa autem quæ adulterium commisit, non capitali pœnæ est subjienda, sed mitius punire debet nempe pœnâ arbitraria. (f)

(a) *c. sicut ex literis. c. is qui fidem. c. fin. d. spons. Schneidervinus part. 1. n. 8. d. sponsalib. (b) c. 22. sicut X. de spons. c. sinter virum. 31. & c. 15. qui fidem. 39. eod. vid. praelaudatus Magnif. Dn. Richter Decis. s. n. 8. Dn. Carpzovius lib. 2. Jurispr. Consist. tit. 4. def. 65. (c) l. nuptias ff. d. R. 7. (d) Matth. 1. l. 4. ff. defund. dotal. l. conditum 17. §. 17. ff. d. reb. auth. jud. possid. (e) l. 13. §. 3. adl. Jul. d. adult. l. 7. C. eod. Nobilissimus, Excell. atque Consultissimus Dn. Ludv. in almâ LL. nu-*

C

trice

urice Altdorffina Antecessor primarius nec non Celsissimū
Principis Palatini & Inclutæ Reipubl. Noriberg. Constitia-
rius gravissimus Patronus atque per biennium Præceptor
meus fidelissimus. *in tract. de ult. Volunt. p. m. 581. Harpr. ad
Tit. d. Pub. Jud. §. 4. n. 24. Valent. Riemer Quest. Illustr. de
cad. ult. q. 2. Bronchorst. Cent. 4. aff. 81. (f) Matth. Berlichius
p. 4. concl. 27. n. 145. & seqq.*

XVIII.

Porro Sponsalia sunt vel publica vel Clandestina. Illa sunt quæ palam coram pluribus testibus contrahuntur, aut Parentibus adhibitis in quorū sponsi sunt potestate, & de illis nullum est dubium quin valeant, nisi ratione consanguinitatis vel aliis causis impediuntur. (a) Hæc verò contra prohibitionem generalem vel specialem, expressam vel tacitam, quæ clam remoris arbitris, imò nullis testibus adhibitis celebrantur; quis autem ignoret Clandestina Sponsalia moribus Hebræorum, Græcorum & Romanorum adversari. (b) Ea enim quæ clam & furtim contrahuntur, turpitudinis suspitione non carent, sed dolo inita præsumuntur, litibusque ac perjuriis occasionem præbent: Quod experientia hodie satis testatur, dum puellæ blandis sapè sermonibus inescata, occultè nuptias alicui promittunt, quod nunquam coram propinquis atq; amicis re palam gesta, facturæ fuissent; paulò post negotio deliberatiùs perpenso, eas penitet, nec aliter vinculis inconsultò nexis expediri possunt, quàm pejerando.

(a) Joach. Beult. *d. Sponsalib. c. 23.* (b) Conradus Rittershusius *Differ. Jur. Civil. & Canon. c. 3. n. 3. in f.*

XIX.

Semper igitur publica Sponsalia, Clandestinis merito præferri debent, etiam si manifestum sit clandestina,
prius

prius esse contracta, (a) & juramento confirmata, (b); quod etiam approbat *B. Lutherus d. libello von Ehefachen in 2. art. Das das öffentliche Verlobnis dem heimlichen Gelübt billich vorgezogen wird.* Imò si concederetur ut publica sponsalia clandestinis postponerentur; is quem promissionis poenitet, facile possit subornare aliquem qui affirmaret, se antea cum puella clàm sponsalia contraxisse; Et ea ratione Sponsalia facili remedio eluderentur, quod sanctitas matrimonii non admittit.

(a) *l. 2. de Claud. desp.* (b) *Harprecht ad pr. Inst. de Nupt. n. 134. Et seqq. Conradus Mauser d. Nupt. p. 306.*

XX.

Quid verò si publica & clandestina sponsalia concurrant, ut aliquis ex levitate duabus fidem matrimonii det, & ad clandestina prius contracta concubitus accesserit, debentne publica sponsalia nihilominus præferri? Sunt quidam qui affirmare conantur, moti hæc ratione. Quod Clandestina sponsalia sint ipso jure nulla. (a) & consensus nuptias faciat, non concubitus. (b) Verùm Negativa sententia probabilior & usu receptior est, Licet enim non concubitus sed consensus faciat matrimonium, tamen hoc ipso conjunctionis actu satis consensus exprimitur, & Ecclesia præsumit, eà sponsum potiùs promissionem ad effectum velle deducere, quam fornicationis crimen committere. (c) Deinde, ne puella cum Parentib. & cognatione, majori injuriâ afficiatur, quam ei, quæ tantùm publicè desponsata nec carnaliter cognita est, & illa cum quâ nuda tantùm sponsalia sunt inita, minus damni & jacturæ sentiat, quam illa, cui sub promissione conjugii, dos prima, nempe pudicitia erepta est; meritò & optimò jure hæc sponsalia clandestina, publicis præferuntur, quod æquitati maxi-

mè conveniât, ut major habeatur ratio illius sponsæ,
cui plus commodi illatum est, imò magna etiam fieret
injuria & contumelia puella si postquam vitiata esset,
simul cum virginitate sponsum amitteret. (d) Interim
levitas bina sponsalia contrahentis non manebit impu-
nita, plerunq; enim punietur à Magistratu penâ arbitra-
ria, ut carcere, exilio temporali, multa pecuniaria.
Imò Jure Civili infamiam incurrit. (e)

(a) c. 3. X. d. Claud. spons. (b) d. l. Nuptias 30. ff. d. R. ff.
(e) c. 15. qui 31. hic vid. Arnold. Corvini jus Can. ad h. t. p.
m. 81. (d) c. cum causam X. d. raptor. Magnif. Dn. Richter
Patronus atq; Promotor submisit colendus decis. 8. n. 58.
¶ seqq. vers. & licet. Dn. Hahn ad Wesemb. h. t. p. m. 172.
Scheidevvin. part. 1. n. 24. (e) l. 1. & 13. §. 1. d. his qui not. in-
famia. secund. gloss. in l. eum qui duas. C. ad L. Jul. d. adult.

XXI.

Porro Sponsalia vel pura sunt vel conditionalia.
Illa purè & sine expressa adjedione ullius conditionis
h. e. dilatione contrahuntur, ut statim inde nascatur
efficax obligatio & actio ad compellendum eum qui
nuptias consummare recusat. (a) Nam purum ait
Baldus, (b) est id quod in sui essentia vel substantia non
suspenditur. Hæc verò conditionem habent adjectam,
quando conjugii promissio per particulam Si, Cum,
&c. confertur in casum dubium qui esse vel non esse
potest. Est autem conditio modus, qui suspendit
actum, donec eo confirmetur. (c) Eaque vel Honesta
vel Turpis, vel possibilis & impossibilis.

(a) X. c. pen. h. c. 3. d. spons. duor. Manser. d. Nupt. §. &
dicite p. 312. (b) l. quanquam Cod. ad L. Falcid. (c) Vultejus,
ad §. heres & purè 11. Inst. d. hered. Instit. n. 7. Coëdd. ad
h. 213. d. V. S. n. 3.

XXII.

XXII.
Honestâ & possibilis conditio est. v. g. Si expectaveris biennium vel triennium; Si Sponsalia non sunt prohibita inter nos; Si Parentes nostri consenserint: ducam Te in uxorem; qualis conditio utpote juri divino & humano consentanea, parentibusque debitum, honorem reservans, omninò honesta est, (a) Ejus generis fuerunt sponsalia *Jacobi* cui *Laban* filiam promittit, sub conditione si septem annos illi inserviat. (b) Sic *Bobas* promisit conjugium *Ruthæ*, si alius propinquior eam ducere nollet. (c) Hæc Sponsalia usque ad existentiam conditionis suspendunt, (c) & ante conditionis eventum alterutri parti, altera invita non licet resilire (d) Ratio est. Quia ex contractu conditionali non minus oritur obligatio in spe h. e. in eventum conditionis quam ex contractu absoluto & puro. Illa verò deficiente nulla erunt contracta, Quando autem copula carnalis subsequuta fuit, videntur à conditione recessisse, & matrimonium non suspenditur. (e)

(a) c. super eo, 5. at c. per tuas s. ibiq. Panormit. & Felin. X. d. cond. apposit. (b) Genes. 29. vers. 18. (c) lib. Ruth. c. 3. v. 12. 13. (d) X. c. 3. & 5. d. cond. app. (e) l. qui balneum 9. h. potior. vi. in pr. vers. videamus ff. qui potiores in pignore hab. (e) c. 6. d. cond. apposit. Excell. Dn. Præses d. Exerc. 8. 5. Kitzel. d. matrim. c. 4. theor. 10. lit.

XXIII.
Honestâ conditio potest esse & hæc, puta, si mihi mille florenos dederis, accipiam Te in uxorem, cui vehementer obflare videtur l. 98. §. si tibi nupsero ff. d. V. O. ubi id non licere Jctus asserit, propterea quod promissio hæc libidinis vel lucri causa facta censeatur. Verùm Resp. Intelligi ibi, in dotem promissionem factam esse,

quod licitum, neque ibi præsumi potest causa libidinis adjectâ fuisse dictam promissionem, juxta communem interpretationem c. d. illis d. cond. apposit. Siquidem in contrahendis sponsalibus, conditionem interponere, quæ ad lucrum aliquod tendit, nullibi esse inhibitum, & spe divitiarum hereditatis vel amplæ dotis, quem ad matrimonium licitè invitari posse, atque sic indubio honesta causa præsumitur. (a) Quid verò si quis sub hâc conditione diversis temporibus, duabus conjugium promiserit, veluti si mihi mille in dotem dedetis, & utraq; eodem tempore postulatam pecuniam obtulerit, utri fides servanda? Resp. Cui promissio prius facta est, si parere vult conditioni, posteriori præferenda est, quia conditio impleta, retrahitur ad diem seu momentum, quo contractus est initus, non secus ac si ab initio purus fuisset. (b) Quocirca nec secunda, etiamsi prius parata esset solvere, priorem excludere potest, propterea quod priori jus jam erat acquisitum, & ea temporis privilegio gaudebat. Porrò controvertitur. Si Pater sponsi vel sponsæ mille aureos in dotem dare promiserit, eamq; pecuniam non possit solvere, an propter ipsam causam sponsalia possint dissolvi. Affirm. Quia censetur hoc casu promissio facta sub modo vel conditione: quæ si impleta non fuerit, obligatio extinguitur. (c)

(a) d. c. d. illis, & ibi gloss. in verba sit tantum, Item Angel. Fulgos. & Jason X. de cond. app. Covarruvias d. matr. tom. 1. part. 2. c. 3. §. 3. n. 1. & seqq. Treutl. vol. 2. disp. 6. §. 6. lit. C. Cypræus d. spons. c. 8. §. 23. (b) l. 11. §. 1. ff. qui pot. in pign. hab. Cypræus d. c. §. 7. (c) arg. c. d. illis. condit. apposit. in eandem descendunt sententiam. Covarruv. in Epit. d. sponsal. c. 5. n. 4. cum seqq. Kitzel. synops. matr. c. 8. theor. 14. lib. 1. Harpr. ad rubr. Inst. d. Nupt. n. 64.

XXIV.

Sponsalia sub Honeſta & poſſibili conditione con-
cepta interdum ſponſalibus de futuro rectè aquipa-
rantur eorumq; effectum habent. Quemadmodum
enim I. ſecutà copulà carnali ſponſalia de futuro tranſ-
eunt in ſponſalia de præſenti & verum inde efficitur
matrimonium, ita etiam accedente concubitu ſponſalia
conditionata purum matrimonium efficiunt, & illa nul-
lo modo nec ulla transactione reſcindi poſſunt, (a)
II. Sicuti Sponſalia poſteriora de præſenti, prioribus de
futuro, ita etiam poſteriora purè & ſine conditione
contracta, priorib. conditionalibus præferuntur. (b)
III. Veluti Sponſalia de futuro lapſu temporis ſolvuntur,
ita & conditionata Sponſalia, propter ſimilem rationem.
Cum itaque ad matrimonium conſummandum certum
tempus ſit præſinitum, illud innocenti perſonæ expe-
ctandum erit, (c) Quod ſi v. ſponſus citra neceſſariam
cauſam, poſt præſinitum tempus, per terrarum orbem
vagetur quique ſua divagatione nihil aliud ſpectat, quam
ut deſerta diuturnioris abſentiæ tædio affecta aliam con-
ditionem quaerat, tunc publica citatio fieri debet, ut,
ſi ad diem præſinitum non comparuerit, ſponſa innocens
ad alia ſponſalia & vota licitè tranſire poſſit. (d) for-
mulam abſolutionis præſcribit *Bechſtadinus tract. d. condit.
ſponſalib.* Ob wohl der Müller die N. mit dieſer condi-
tion, ſo er innerhalb 4. Wochen von ſeiner Wanderschaft
wieder kommen würde zu ehlichen verheißen / dieweil aber
ſolche condition nicht erfüllet / und er dißfalls keine Ver-
hinderung zuthun ſich in Schrifften erkläret / ſo wird dan-
nenhero gemeinſolte N. von dem Müller der Ehe halben bil-
lich loß gezeht / immaffen wie ſie dann hiemit loß und
ledig zehlen / und ihr das andere mit N. getroffene Ehe-
geſchmiß

gelöbnis zu vollziehen verstaten sind nachlassen. *B. N. W.*
In sponsalib. verò de futuro, ubi certum tempus præ-
finitum non est, sponsa sponsum, ex justa causa absentem,
ad tempus conventum, vel quamdiu causa durat, aut
sponsus malitiosus defertor abest, expectare debet cer-
tum ejus mortis nuntium. (e) Vel si non continere
potest, tunc de Jure Civili, si absens sit extra provinciam
per triennium, si in provincia existat, per biennium
expectare debet, quò elapsò & defertore, publicè ci-
tatione factà, non comparente, similiter ad alia sponsa-
lia innocens persona transire potest. (f) Ex quib. vide-
re est quod rectè sponsalia conditionata sponsalibus, de
futuro æquiparentur.

(a) *ut Theologi & Juri in hac Illustri Salana responderunt*
A. C. M. DC. XVI. m. Decemb. que Responsio videre est in
Magnif. Dn. Richteri Var. jur. decis. part. 1. dec. 8. n. 6.

(b) *Gloss. in c. super eo verb. alieno arbitrio in c. per tuas verb.*
presumt. X. d. cond. app. Schneidevvin. d. Nupt. part. 1. n. 37.

(c) *c. sicut ubi etiam Panormit. & preposit. X. d. spons. (d) l. 2.*
C. d. spons. Harpr. ad Rubr. de Nupt. n. 67. Beust. d. spons. q.
60. 61. (e) Auth. sed hodie C. d. repud. (f) d. l. 2. C. d. Repud. d.
l. 2. C. h. t. Covarruv. c. 5. n. 7. Dn. Sichmann. Nucl. Pandect.
h. t. p. m. 540.

XXV.

Turpes & inhonestæ conditiones, aut con-
tra substantiam matrimonii sunt, aut non sunt.
Contra matrimonii substantiam sunt, ducam Te si
generationem prolis evites, vel si committas adul-
terium, aut si mihi promittis ne alter in alte-
rius complexionem veniat, quale conjugium in-
ter *Regem Anglorum Egfredum & Etheldrudem conju-*
gem fuit. Hæ & similes conditiones, cum & turpes sint,
& fini

& fini & substantia matrimonii repugnent, nullū reddunt matrimonium, etiam si accedat concubitus, (a) Quia nullus hic consensus, nec matrimonium. Et hoc procedit nisi prius fuerit remissa conditio, & tandem carnalis copula sequatur: vel uterque contrahentium in tales condiciones non consenserit, tunc pro matrimonio judicari adferit. *Kitzel* (b) & *Bechstadius* (c) Condiciones quæ non sunt contra matrimonii substantiam sunt hæ, quando dico, promitto tibi conjugium si te à me cognosci permiseris, item si te nudam conspiciendam præbueris, & ejusmodi similes. Hæ verò condiciones propter turpitudinem rejiciuntur, ac pro nullis habentur, ratis manentibus sponsalibus, non secus ac si purè & absque ullà conditione adjecta contracta sint. (d) talis verò conditio excipitur ut non rejiciatur, quæ prima fronte turpis videtur, consideratione verò honesta sit & apparet, puta, turpis est conditio, quando *Hector Achilli* sororem suam *Polyxenam* in matrimonium pollicetur, si universum exercitum prodat, quo exemplo utitur *Cypræus*. (e) Verum potest ista conditio honesta esse, nam in genere non omnis proditoris species in honesta est, sed finis & causa maxime observanda, simulq; apparentes species proditorum à veris discernendæ.

(a) cap. aliquando. caus. 32. q. 2. Dd. comm. ad. d. c. fin. 8. d. condit. apposit. Covarruvias tom. 1. d. marr. part. 2. c. 3. §. 1. num. 17. (b) *Synops. marr. c. 4. theor. 12. lit. g.* (c) in elegant. tract. d. condit. sponsalib. part. 1. cap. 7. n. 7. (d) c. 1. & fin. 8. d. cond. apposit. *Hosliens h. t. §. quæ condit.* (e) d. Sponsalib. c. 8. §. 8.

XXVI.

Impossibilis conditio, quæ potentia hominis

D

non

non potest adimpleri, & per rerum naturam est impos-
sibilis, puta ducam Te si cœlum digito attigeris, vel mare
pedibus transferis, non valet, & ipso jure est nulla; Quic-
quid etiam senserit Pontifex, (a) ut scribit *Nobilissimus*
Dn. Præses. (b) Negotia enim hominum eam ob causam
tractantur, ut non sint frustranea, sed ad effectum ut
perducantur: Jam verò is, qui rem sub impossibili con-
ditione promittit, animum se obligandi non habet, quia
novit vel scire debet, tali quid pacto promitti non posse,
cum non intelligatur consentire, teste JCo. (c) Non
solum, inquit, stipulationes impossibili conditione ap-
plicatas, sed cæteros quoque contractus, veluti emtiones,
locationes, impossibili conditione interposita, æque
nullius momenti esse. Et revera tales condiciones po-
tius in dissensum, quam consensum tendunt, magisque
jocosè ad irrisionem, quam seriò, aut ad obligationem
factæ videntur, (d) simulata autem sponsalia nullius
sunt momenti, & per jocum si quid promittitur obli-
gatio non nascitur. (e)

(a) in c. *fin. d. condit. apposit.* (b) in *Synag. Jurispr. Exerc.*
29. b. 6. & seqq. (c) l. *non solum. 31. d. O. & A. l. 7. d. V. O. S. 10.*
7. d. *Inutilib. Stipul.* (d) Covarruvias p. 2. d. *matr. c. 3. S. 2. n.*
13. Cypræus d. *Spons. c. 3. S. 6. n. 3.* (e) l. *simulata 30. ff. d. R. N.*
l. 3. S. 2. ff. d. O. & A. Dn. Carpzov. l. 2. *Jurispr. Consist. tit.*
2. *defin. 19.*

XXXVII.

Ad condiciones quæ tacite insunt, nunc accedi-
mus, Consistunt I. in provisione divinâ, ut, si Deo
placuerit, si vixero. II. in provisione juris, ut si honestè
potero, si salvâ legis aut Magistratus autoritate conjun-
gi possumus, III. in actione hominis, ut, si integræ famæ
es, si honestè & pudicè vixeris &c. Referrî quoque potest
ad

ad tacitas condiciones, impuberū & minorum, promissio
v.g. si exspectare velis, donec ad maturā etatem pervene-
ro, oder wann ich so alt werde/das ich so viel gelernet hab/das
ich ein Weib ernehren kan / illorum autem sponsalia
non sunt firma, nisi post majorenitatem legalem con-
sensus reiteretur (a) ut etiam supra monui. Et hæ con-
ditiones, quæ tacitè sunt & intelliguntur, à voluntate
contrahentium non pendent, sed ex juris autoritate
procedunt, & non faciunt quidem sponsalia condicio-
nalia, gubernant tamen ejus exitum quoad obligatio-
nem. (b)

(a) c. literas. c. accessit x. d. spon. impub. c. unic. eod. in
6to. vers. idem quoq. (b) l. condiciones & l. aliquando ff. d. can-
dic. & demonstr.

XXVIII.

Insuper Sponsalibus quandoque etiam. I. Modus
adjicitur. Dicitur autem *modus à moderando*, quod mo-
deretur dispositionem seu promissionem, (a) Estque in
genere omnis dispositio seu qualitas contractui adjecta,
quæ nō quidem conventionē suspendit ut conditio, sed ei
tantum modū præscribit, (b) puta, nubā Tibi, modo ultra
semestre solennitatem Nuptiarū nō differas: ut conditio,
sic etiam modus & possibilis & honestus esse debet, &
consummato matrimonio ut impleatur necesse est; de
Impossibili & turpi verò res aliter se habet, *secundum Dd.
opinionem.* (c) Modus enim inest contractui, cui adjun-
gitur, nec pactum separatim à contractu inducit, unde si
contracto matrimonio etiam incontinenti fiat pactum,
quod repugnat matrimonii substantiæ, rejicitur pactum
manente firmo contractu, (d) etiamsi juratò promissio
facta sit, juramentum enim non debet esse vinculum
iniquitatis & impietatis, sed semper veritate, judicio &

justitiā fulcitum, (e) ideòq; illicitum juramentum præstans, absolute non habet, cum non teneatur servare illud. (f) II. Dies, cum quis intra certum temporis spatium, aliquam in uxorem se ducturum, Hæ quidem promissiones, quamvis non obligent ad contrahendum, ante certum temporis spacium, & non suspenduntur, illa tamen veniente die potest agi, (g) nimirum si sponsus præfixo termino cum sponsa matrimonium non contraheret, sponsus à sponsa compelli poterit. (h)

(a) Bart. in l. 40. §. ult. ff. d. condit. & demonstr. (b) secundum Bald. d. l. d. cond. & demonstr. (c) vid. Excellentissimus Dn. Præses d. Exerc. 6. 8. (d) Card. c. fin. d. Cond. apposit. Covar. d. matr. p. 2. c. 3. §. 1. n. 10. & 24. (e) c. animadvert. 22. q. 2. (f) c. in malis 22. q. 4. (g) arg. §. 2. J. d. V. O. l. 213. d. V. S. (h) c. sicut. 22. d. spons. Abb. c. 12. illis 5. n. 5. ood.

XXIX.

Sponsalia interdum juramento firmari solent, unde sponsalia etiam dicuntur *jurata* vel *non jurata*; jurata sunt, quorum promissionibus adhæret jusjurandum; sic quando Stuprator neget promissionem conjugii, puella affirmet, tunc illi deferri solet juramentum purgationis.

(a) Sed Queritur an in causa Sponsaliorum etiam locus sit juramento suppletorio? primo intuitu regulariter Neg. Quia in magnis & arduis causis, juramentum suppletorium non deferretur, propter periculi magnitudinem & suspicionem perjurii. (b) Verum distinctione opus erit: ut: Neganti sponsalia, cum ad illa destruenda jurare paratus sit, juramentum nunquam deferretur; sed affirmanti, si intentionem suam plusquam semiplenè probaverit, simulque insignis & gravis con-

currat præsumtio, (c) his enim rectè à iudice pensatis, potest talis delatio juramèti fieri, siue agatur de aliquo impedimento conjugii, (d) sit præterea homo non improbus, qui petat sibi personam æqualem, aut non multum supra suam conditionem eminentem. Deinde disquisitionis est an tale juramentum etiam imponi possit Vitiata, plusquam semiplene probanti? Et pro Negativa sententia militat *Cyprus*, (e) idque quod talis mulier siue vitiata, pudicitia jacturam fecerit, & infamis sit, & susque deque habeat, quid jurata dicat vel affirmet: Ego quamvis à Dd. opinionib. non pendeam, ubi veritatis fundamentò suffulejor attamen affirmantium sententia, non possum non album calculum adjicere, quia illa saltem infamis est, quæ palam corpore quæstum facit, (f) quæ de hîc quæstio nulla, sed de amantia; & quomodo vitiator huic objiciat infamiam, qui in pari cum eâ culpa est? (g) Et quidni hæc admittere tur ad suppletorium juramentum, cum illa non arceatur à juramento purgatorio? Et hæc sententia usu receptior. (h)

(a) Kitzel *Synops. matr. c. 10. theor. 26.* (b) *Gailius lib. 10. ob. 108. n. 10.* (c) *Abb. in c. mulieri column. 3. §. 4. l. ult. C. si ex fals. instrum. l. fin. C. d. probat. Nobiliss. Dn. Præses Syntag. Jurispr. Exerc. 17. b. 44.* (d) *Dn. Carpzov. 3. resp. 57. §. Jurispr. Consistorial. 3. def. 46.* (e) *de Sponsalib. c. 14. §. 19.* (f) *l. 43. §. 1. §. 4. d. R. N.* (g) *Dn. Hahn ad Wesemb. π. h. l. n. 3.* (h) *Co-varr. d. tr. p. 1. c. 4. §. 1. n. 8.*

XXX

De causa Sponsalibus adjecta dicendum est, quod illa siue vera, siue falsa sit, non dirimat nec infirmet Sponsalia, sed pro non adjecta habeatur, pura, ducam Te quia dives, quia pulchra, quia hujus vel illius filia es:

et si neutrum horum verum sit, nihilominus rata sunt sponsalia & purè intelliguntur contracta, Error enim circa qualitatem accidentalem & fortunam sponsalia non infirmat, (a) sibi quoque imputare debet, qui contraxit cum eà, cujus conditionem exactius debuisset explorare. (b) Error autem persona justè impedit Sponsalia: (c) Imò & si quis vitiatam ab alio ignoranter duxit, eam nequam retinere tenetur, quod juri divino, (d) & Civili, (e) consentaneum est, uti etiam hodie passim in judiciis consistorialibus, (f) omnium Theologorum & Jctorum unanimi voto & sententià ejusmodi non modo sponsalia, sed matrimonia quoque dissolvuntur, ut persona innocens & enormiter decepta pronuncietur libera, non tantum quoad thorum, sed ut & alteri nubere possit, (g) Interim probè notandum, quod sponsa quæ se pro Virgine gerit, cum non sit & juveni nubit, panà arbitraria puniri debeat; Jure enim divino, mulier corrupta, quæ se pro virgine elocari passa est, vel capitali etiam supplicio affici jubetur, (h) Et jure Civili, crimen stellionatus incurrit, (i) Idque quod in re tam magni momenti fallere turpissimum sit, etiam Parentes & Tutores, qui vitiatam puellam sciebant, quod sponsum de ceperint, & ad fidem dandam dolo impulerint, puniendos esse existimat *Cyprius*. (k)

(a) *c. unic. vers. Error fortuna. caus. 29. q. 1. Dn. Hahn d. l. p. m. 220.* (b) *Gail. l. 2. O. 93. n. 11.* (c) *c. tua nos 26. circa fin. in verb. ne unq. in predict. person. de Sponsalib. c. unic. 29. q. 1. c. si quis ancill. cum seqq. c. 29. q. 5.* (d) *per c. 22. Deut. v. 21.* (e) *arg. l. exempto 11. §. si quis virg. d. ult. emt. l. elegantier ff. d. dolo* (f) *reste Nic. Reusnerò lib. 1. Consult. q. 5. n. 78. & 79. vid. Harpr. ad §. 12. & 13. de Nupt. Schneid. h. t. p. 4. n. 59. Hcen. Disp. Inst. 2. §. 7. Disp. 6. pand. §. ult. lit. E. E jusd. Disp. Reg. Jur. 4. ad l. 19. q. 1. Magnif. Dn. Richter quest. Misc.*

13. Beatissimus Dn. Ungepaur *Exerc. Inst.* 3. q. 8. Sc. (g) l. *consensum* §. *virum* & §. *fin.* C. d. *repud.* vid. *Clammerus* *compend. Juris Civil. tam feud.* Tit. 43. n. 40. & 41. (h) *arg. Deut.* c. 22. vers. 21. (i) l. *stellionatus* 3. §. 1. 2. 3. *Idem.* l. *fin.* ff. *stellionatus.* *Kitzel Synops. matr. c. 4. theor.* 19. lit. b. (k) *de sponsalib.* c. 13. §. 46.

XXXI.

Quia dictum fuit quod Error sit impedimentum sponsaliorum, non abs re me facturum puto, si & cætera impedimenta illorum tam animi quàm corporis afferam & proponam; Est itaq; impedimentum Sponsalium I. Ebrietas, puta enormis & immodica, adeoque talis quæ mentis inducat exilium, tunc enim deficit consensus, qui in Sponsalibus tanq. pars fundamentalis exigitur, (a) talis quippe ebrius qui caret omni rationis usu, adeo ut humanis moribus non utatur, sed prorsus belluino more grassetur, & veluti porcus in luto se voluter; bestia similior est quàm homini, & hæc Ebrietas est justa repudii causa, nisi sponsus cum edormisset crapulam fidem repetierit, tunc sera futura est poenitentia (b) II. Dolus, malitiis enim hominum non indulgendum nec fraudibus via aperienda est; adeoque nemini dolus suus patrocinari debet, vel lucri esse. (c) III. Furor, siue enim stipuletur furiosus, siue promittat, nihil agi naturam manifestam est, quia non consentire potest, imò æquiparatur non solùm brutis sed & mortuis. (d) IV. Inimicitia contrahentium capitales, nihil enim conjugio quod amore & benevolentia conciliari oportet, magis repugnat, quam odium & malevolentia, si itaque timor sit, ex futuris nuptiis oriri posse homicidia, adulteria, & similia crimina, perpetuasque rixas & alterna jurgia, tam inter futuros conjuges, quam illorum

illorum propinquos, ob graves istas capitales inimicitias inter personas desponsatas ortas, etiam sponsalia de presenti dirimi posse ex J. Canonico videre est, (e)

(a) *c. sanè. c. inebriarunt 9. caus. 15. q. 1. Wesemb. d. R. N. n. 8. Hackelman disp. 14. §. 4. lit. c. Dn. Ludwell. Exerc. 2. §. 5. lit. c.* (b) Melch. Kling *d. caus. matrim. tit. d. Errere qualiter. (c) c. rnanos 26. in fin. d. sponsalib. l. 25. C. d. Legat. Menoch. lib. 1. præsumt. 92. n. 4.* (d) *c. dilectus 24. h. t. l. furor 8. h. t. l. 24. ff. rem. rat. Gallius l. 2. O. no. n. 21.* (e) *c. 2. & c. requisivit 17. h. t. Magnif. Dn. Richter decis. 8. n. ii. Harprecht ad rubr. Nupt. n. 138.*

XXXII.

V. Immutatio status, quando enim sponsa per sponsalia de futuro, juveni honesto & bonæ famæ nupsit, ille verò, post eadem contracta, committit homicidium, latrocinium & aliud id genus, ut propterea infamis fiat aded ut civiliter mortuus esse videatur, æquissimū videtur, sponsam propterea audiri, & ad consummandum matrimonium non compelli. (a) VI. Fornicatio, Veluti enim sponsa non tenetur retinere sponsum, qui post contracta sponsalia, libidinibus se contaminavit, & scortari capit. (b) ita tantò magis sponso licebit repudiare sponsam si & illa post contracta sponsalia fornicata fuerit. (d) VII. Cæci amoris vehementia, quæ nonnunquam incantationibus, veneficiis, philtris seu poculo amatorio procreatur. (e) VIII. Impotentia coeundi, Unde rectè à sponsaliorum jure arcentur *ex parte masculi*, castrati, Thlibiæ, Thlasia, apud quos nulla spes generandi, (f) spadones verò non prohibentur contrahere sponsalia, experientia enim notum est quod illi qui unicum testiculum habet generare possint, (g) *Ex parte femelle*, quæ suâ naturâ ita arcta sunt ut à nemine cognosci, & viti-

vitiumq; illud incisione, aliove remedio citra summum
periculum tolli non possit. (h) De Hermaphroditis di-
cendum venit, quod neque illis licitum sit sponsalia con-
trahere, nisi ex inspectione de sexu prevalente constet,
(i) Ita si in eo virilia prevaluerint maritum fieri, si mu-
liebria in eo exuberent, nubere posse statuo; sin verò
utriq; est æqualis, non admittendus est ad S. Conjugium,
nisi juramento promiserit, quod altero præter electum
non sit usus. (k)

(a) *Vid. Kitzel Synops. matr. c. 8. theor. 14. lit. a.* (b) *arg. cap. si dicturi. 2. h. caus. 32. q. 6.* (d) *Covarr. Tom. 1. p. 1. d. spons. c. 5. n. 2.* (e) *Wurmser Nucl. controu. 7. Civ. Disp. 2. 8. 5.* (f) *l. 30. §. 1. ff. d. J. dot. l. 14. §. ult. d. man. vend.* (g) *2. §. 1. ff. d. Adopt. §. sed & illud. Inst. eod. l. 4. ff. d. R. milit. & l. pomp. d. edilit. edict.* (h) *l. 14. §. 7. d. edilit. edict. c. fraternit. 6. in pr. & præp. fin. vers. per hæc x. d. frigid. & malefic.* (i) *arg. l. 10. d. stat. hom. Dn. Præses, Præceptor meus nunquam sine prolixâ ob- servantiæ præfatione nominandus Exerc. 29. §. 27.* (k) *Vid. Zoësius h. t.*

XXXIII.

Fluit ex hâc præcedenti Th. Quæstio, Si nimirum
Virgo, Castrato, vel Eunucho fidem matrim. dederit,
non ignara eum hoc vitio laborare, vel si post sponsalia re-
sciverit eum virum non esse, & nihilominus nuptias con-
summare cupiat. Utrum illud concedendum? Neg.
Quod enim illorum sponsalia dirimere debeant, suadet
jus divinum, cum ejusmodi homines eo jure prohibean-
tur mariti fieri, (a) deinde conjugium benedictionis non
sint capaces. Nihil itaque obstat, quod Virgo sciens vo-
lensque Nuptias cupiat: In re enim tanti momenti Ma-
gistratus est partibus consulere, qui suis commodis con-
sulere non possunt, cumque perire volens audiendus non
sit, (b) Et quod magis est, quia verendum, ne Virgo

E

alibi

alibi amori operam dare incipiat, & conjugio pro velamento turpitudinis utatur, melius, ut illi ab his Nuptiis abstineant. Aliter res se habet, quando mulier sciens volensq; Castrato nupserit, & matrimonium consummatum sit, sibi enim imputare debet, quod tali sciens & volens contraxerit, (c) contrahens etiam scienter cum impotente ad copulam, postea separari non potest, sed impotenti ut frater aut soror cohabitare tenetur. (d)

(a) Joh. Gerhard. *in loco d. Conjugio* §. 235. p. 358. (b) *l. 6. d. appellat.* (c) *l. si fidejuss. §. si neq; ff. qui satisd. cog. c. 86. d. R. 7. in 6to.* (d) *c. consultationem 4. §. d. frigid. & malev. c. requisiv. 33. q. 1. c. quod Deo 4. c. 33. q. 5. c. omnino dist. 31. Beust. d. matr. p. 2. 14. Harpr. de Nupt. §. sunt & alia. in. 107.*

XXXIV.

Porro Jure Civili, sponsalia sive Nuptias contrahere prohibentur: *Servi, & peregrini* (a) *Tutor Curator* aut horum filii, cum pupilla vel minore, cujus cura tutelave geritur. (b) *raptor cum rapta.* (c) *preses cum provinciali* (d) *amplissimus cum humili, vel Senatorius cum libertinâ aut Vili.* (e) Verum hæ quatuor postremæ prohibitiones civiles, jure novissimo non considerantur, etiam jure Canonico, adeo ut Viro in dignitate constituto, vel meretricem etiam ducere liceat, si quidem Jus canonicum in sponsalibus non conditionem personarum, sed consensum solum & sacramentum attendit, (f) Imò hoc jure impudicam seu meretricem ducens, opus charitatis exercere & bene mereri dicitur, (g) & talis plebeja si viro nobili nubat, hujus nobilitatem participat, (h) tale matrimonium fuit *Anno M. D. LXVIII. Erici, Suecia Regis cum Catharinâ libertoris filiâ*, quâ is concubina fuerat usus, & post geminam ex eâ susceptam sobolem, justis nuptiis sibi conjunctam,

Etiam, *Reginam* pronunciavit. (i) Item ætatis ratione prohibuerat etiam lex Julia majorem Sexagenario jungi minori quinquagenaria, & majorem quinquagenaria minori sexagenario: (k) verum Justinianus hanc legem etiã corripuit, & *Sexagenariis* & *quinquagenariis legitimas nuptias* contrahere permisit, (l) & consequenter si fortè mulier quinquagenaria partum ediderit, eum patri suo tanq. legitimã sobolem succedere constituit. Exemplum illustre partus quinquagenariæ in Constantia regni Neapolitani herede, quæ major quinquagenaria ex monasterio extracta Henrico V. Imp. nupsit, & postea Panormi publica in platea, sub Papilione, in conspectu mulierum illustrium peperit. (m)

(a) l. 3. C. d. Incest. Nupt. (b) l. 36. 60. 66. C. d. Nupt. C. d. d. Interdict. Matrim. (c) Nov. 134. l. un. C. d. rapt. (d) l. 38. l. 57. hic. (e) l. hamilem C. d. incest. N. l. 44. ll. seqq. d. R. N. (f) aurb. sed novo jure C. d. Nupt. 23. C. d. Nupt. Novell. 51. 78. c. 3. Nov. 89. c. ult. Nov. 117. c. 6. cap. cum locum, & ibi Panormit. n. 3. X. de spons. junct. lib. 1. Samuel. c. 28. (g) cap. intra opera. 20. ubi Panormit. & Elin. X. de sponsalib. vid. Gail. l. 2. O. 141. n. 6. (h) Excell. Dn. Præses Studiorum meorum Patronus devoto adfectu colendus. d. Ex. 6. 28. (i) Jacob. Aug. Thuan. lib. 41. Hist. sui temp. (k) ut notat Hotom. in libell. d. Legib. Populi Rom. verb. Papiæ Poppæa. (l) l. sancimus. 27. d. Nupt. (m) ut ex Aton. Florent. & Paulo Emilio refert Arnisæus d. J. Connub. c. 2. sect. 4. n. 13.

XXXV.

Deniq; de Personis Sponsalia contrahentibus illud observandum venit; Quod ratione necessitudinis seu propinquitatis, quædam personæ conjungi prohibeantur, ubi videndum ne quis ex gradibus prohibitis aliquam sponsam ducat, quæ prohibitio fit vel ratione cognationis, vel affinitatis, vel publicæ honestatis.

Verum quia de hac prohibitione, Dd. plurimum in Titulo Nuptiarum quam sponsaliorum, tractant, & Nuptias copiosius persequi, mei jam instituti non est, pauca tantum de illa prohibitione, quae fit ob honestatem publicam, adponere placet.

XXXVI.

Hinc propter justitiam publicae honestatis, Pater sponsam filii fortè defuncti, vel filiam conjugis repudiatae: & filius sponsam Patris, in uxorem ducere non potest, (a) quod etiam dicendum de sponsa defuncti fratris, nam neque & illam ipsius Frater ducere potest; quanquam Fratris tui sponsa tibi non est loco filiae vel matris, est tamen tibi Fratria ac loco Sororis, cui etiam reverentia nuptias prohibens debetur. (b) Non tamen defuncti, qui existimant hoc in casu locum dispensationi esse. (c)

(a) §. 9. 7. d. Nupt. l. 12. §. 1. eod. (b) Dn. Carpov. l. 2. Jurispr. Conslt. def. 106. 107. Harprecht. §. 6. n. 11. Inst. d. Nupt. (c) vid. Sichmann. arb. consangu. c. 7. n. 31. Dn. Carpov. d. l. 1. def. 12.

XXXVII.

Duorum autem Fratrum liberi, qui patruales dicuntur, item Consobrini & amitini, tam jure Civili quam jure dvino, (a) non verò Canonico (b) Sponsalia rectè contrahunt: Ratio quia duorum fratrum vel duarum sororum liberi Jur. Civ. sunt in quarto gradu lineae æqualis, itaque una persona alteri remotiori gradu est conjuncta, cum etiam hic cesset causa prohibitionis, non immeritò & ipsa cessat prohibito (c) Duorum itidem conjugum liberi, ex alio marito, & aliâ uxore prognati, qui comprivigni dicuntur, omni jure rectè conjunguntur. (d) Ratio, Quod inter comprivignos nulla intercedat affinitas, ut pote:

pote qua inter maritum & cognatos uxoris, vel vice-
 versa solum contrahitur? Inde etiam quoniam Jani-
 trices i. e. duorum fratrum uxores, Jur. Civ. quoque
 affines non sunt, (e) non incommode duo fratres duas
 sorores ducere possunt: Illustre Exemplum habemus in
 familia Hassiacâ ubi Wilhelmus Sapiens, Ludovicus III.
 & Georgius, fratres, tres sorores, Christophori Duci
 Wirtembergici filias duxerunt: Quod etiam Pater &
 filius, cum Matre & filia sponsalia inire possunt, satis
 constat:

(a) *S. duorum. 4. f. d. Nupt. l. 19. C. cod. l. 67. S. 1. d. R. N.*
Genes. 29. v. 10. Jos. c. 15. v. 17. (b) c. 8. x. d. consangu. (c) c. cum
cessante x. d. appellat. vid. Riemer. quest. Illustr. decad. 2. h.
8. (d) S. 8. J. d. Nupt. l. 34. S. inter privignos. 2. d. R. N. c. 5. d.
consangu. & affin. Levit. 18. 11. (e) d. S. 8. J. d. Nupt. & d. l. 34.
d. R. N.

XXXVIII.

Restat ut finis sponsaliorum subjungatur, qui est
 conjugii promissi consummatio, (a) cujus pro-
 bationi plerumq; arrhæ inserviunt, quæ sunt vera Sym-
 bola, seu tessera matrimonii promissi: unde tritum illud:
Ist der Finger beringet/so ist die Jungfr. bedinget. (b)
 Arrha Germanis dicitur *Mahlschatz* / (c) voce *mahl*/
 quasi sit signum sponsæ, germanicè enim vox *Mahl*
 signum denotat, & voce *Schatz* frequenter sponsi spon-
 sas suas salutare solent: Quibusdam in locis vocatur
Handtreu/Hafftgeld. (d)

(a) *Wesembecius in π. n. 7. d. sponsalib. (b) c. fem. 30. q.*
5. (c) Dn. Carpzov. Jurispr. forens. p. 3. const. 11. def. 12. (c)
Cypræus tr. d. sponsalib. c. 11. S. 1. n. 1. Dn. Befoldus Thes.
Pract. voce Hafftgeldt.

IXL.

Arrhæ olim dabantur sponsæ à sponso, non vicissim

E 3

sponso

Sponso à sponsa ut statuit *Cujacius*, (a) Verùm quod hodiè etiam sponso à sponsa arrhæ dentur testis est *Bo-cerus*, (b) & quotidiana experientia, cum plurimis in locis, non saltem privatim, verum etiam publicè in ipsa sacerdotali benedictione, quando ipsum contrahitur matrimonium, contrahentes arrhæ loco sibi invicem annulum dare soleant. Dantur autem non solùm annuli pretiosis gemmis insignes, sed & armilla vel catenæ aureæ, aut alia sæpè magni pretii ornamenta, (c) possunt quoque contrahentes non tantùm per se, sed etiam per alios quoque arrhas dare vel accipere, (d) expressè enim constat quod Pater & mater, pro filia, Avus pro Nepte arrhas accipere & dare possint. (e) Exemplum habemus apud *Zasium*, (f) ibi *Jch schicke Euch hiemit einen Ring zu einem gewissen Zeichen meiner rechten und redlichen Lieb/und damit Euch und keine andere zu meinem Schweiß zu haben/und Euch hiemit zu vermählen und zu nehmen.*

(a) in *π. h. t. & lib. 4. O. 26. Herm. Vultejus Jurispr. Rom. lib. 1. c. 10.* (b) *Class. 1. disp. 9. § 23. lit. E.* (c) *Dn. Carpzov. Jurispr. forens. part. 3. Const. 11. def. 12. n. 2.* (d) *l. 5. C. h. t.* (e) *Bachov. ad Wesemb. π. h. t. n. 5. (f) l. 2. Con. 3. n. 7.*

XL.

Cum autem res non solùm naturaliter tradantur sed interdum etiam per fictam traditionem illarum possessio transferatur, pròinde non in convenienter Quaritur, An ad arrham constituendam vera & naturalis requiratur traditio; an verò per fictam traditionem arrha dari possit? Non desunt quidam, qui probare volunt, quod per fictam traditionem non minus arrha dari possit, quam per veram rei traditionem

tionem, (a) Verùm Bartoli, & Covarruvia sententia
magis arridet, qui docent, quod hic realis necessaria
sit traditio: Ubicunque enim lex requirit actualem
sive corporalem rei traditionem, ibi non sufficit ficta
traditio. Atqui LL. de arrha loquentes, talibus utuntur
verbis, ratione formæ, *accipere* &c. (b) E. nec hîc sufficit
ficta traditio: Deinde requiritur ratione formæ ut veræ
arrhæ tradantur evidentioris probationis gratiâ, ut evi-
dentiùs probare possit, sponsalia contracta esse, (c) ut &
contractus sit eò firmior & expeditior, & illi qui adfue-
runt testes certiores redditi affirmare possint sponsalia
inîta esse, illudq; se non tantùm auribus sed etiam ocu-
lis, atque sic duobus sensibus hausisse & percepisse. (d)

(a) *vid.* Tiraquell. *in speciali tr. d. constit. poss. pag. 1. n. 2.*
& *seqq.* (b) *l. 5. C. h. r. l. n. 9. 6. in fin. ff. d. act. emt. l. f. ibi ar-*
rhis acceptis d. L. commiss. (c) l. 35. pr. ff. d. contr. Emt. pr. 7.
d. Emt. & Vend. (d) Cypræus tr. d. sponsalib. c. 11. §. 4. n. 5.

XLI.

Jucundæ quoque Quæstionis est. Si nimirum Ju-
venis nulla præcedente de sponsalibus tractatione, nul-
laque illorum mentione factâ, puellæ annulum obtu-
lerit, ipsaque illum tacens acceperit, num probentur
contracta sponsalia ex ista traditione annuli. Resp. Quod
non, Nuda enim annuli traditio, donatio quædam po-
tius dicenda, quam subarrhatio, (a) cum etiam hæc
nuda annuli datio & ob alias causas, (b) puta, donandi
animo, (c) aut ex amore turpi fieri possit, vel etiam ut
amasia ornatio incedat, inprimis cum catenam auream
vel alia pretiosa ornamenta dedit, hæc sanè omnia
sunt signa planè æquivoca, quæ ob incertitudinem, ac
suâ naturâ nihil certi probant & sic sponsalia inter illos
non probantur contracta: Hanc meam sententiam
quoque

quoque confirmat *Dn. Habn.* (d) qui expressè dicit quod
indicia concurrere debeant, adeò ut neganti se matri-
monii causa dedisse, statim juramentum purgationis
imponi possit, ut etiam existimat *Cyprus*, (e) *Joach.*
Beust. d. spons. c. 5. Quando inquit: Sponsalia, per so-
lum anulum datum non contrahuntur, nisi vo-
cibus lingua figuratis hoc exprimat, vel aliter,
significatur, anulum in hoc dari, & illum mulier
vel virgo sponsaliorum nomine recipiat, tunc
pro veris sponsalibus sunt habenda.

(a) *Sanchetz d. sponsalib. Disp. 35. n. 1. Arnisz. d. J. Con-
nub. c. 3. sect. 1. n. 8.* (b) *cap. illud. 11. x. d. presumt.* (c) *l. 36. S. 1.
donat. inter vir. & ux.* (d) *in Not. ad Wesemb. π. h. t. n. 8.
vers. plerunq.* (e) *d. spons. c. 11. S. 5. n. 7. 6.*

XLII.

Sponsum, nuptiis secutis, arrham J. Civili repetere
posse quidam statuunt, cum hoc jure, arrha detur
non animo donandi, sed ut signum sponsaliorum con-
tractorum, quo signo cum matrimonio non amplius sit
opus, merito qui dedit, illud repetere poterit, (a) Ve-
rùm plerumq; hodiè contrarium observatur, & spon-
sus & sponsa, arrhæ nomine accepta, den *Wahlschah*/
nuptiis secutis æquæ ac sponsaliciam largitatem retinent.
Nuptiis verò non secutis, pars quæ renuit eas implere,
si arrhas dedit, amittit eas, (b) si accepit in duplo illas
restituit, (c) Veteri jurè, qui acceptâ arrhâ, sponsalibus
sine justa causa renunciabat, ex legis dispositione qua-
druplum restituebat, (d) quod tamen postea Imp. Ju-
stin. abrogavit. (e) Ubi verò alteruter justam renunti-
andi causam habuit, tunc pœna hæc cessat, (f) & ita
nec is qui dedit, perdit arrham, qui illam accepit,
duplum

duplum restituit, sed arrha simpliciter, nisi aliter con-
 ventum fuerit, repetitur. (g) Similiter quoque si spon-
 salia ob defectum consensus Parentum, aut vitium clan-
 destinitatis irrita fiunt, arrhæ solum invicem restitui
 debent. (h) Hæc verò omnia observantur in Sponsali-
 bus de futuro, nam in sponsalibus de præsentia aliter res
 se habet, non enim ignorandum, quod in illis sponsus
 vel sponsa hodiè pœnitere & sponsalibus illis renuncia-
 re nequeant, licet arrham datam relinquere, vel ac-
 ceptam in duplo restituere velint; Cum hæc sponsalia
 adeò sint obligatoria, ut etiam sine arrhis contracta, nec
 mutuo contrahentium dissensu dissolvi possint, (i) E-
 multo minus pœnitentia locum inveniet, si arrha datæ
 fuerint.

(a) arg. l. 11. §. 6. ff. d. act. emt. (b) l. ult. ff. d. Leg. Com-
 miss. Cujac. l. 11. O. 17. (c) l. mul. 5. C. h. t. (d) l. 6. C. Theodos.
 d. spons. l. 5. §. 1. vers. quadr. videl. C. eod. (e) l. 2. l. ult. C. h. t.
 l. 1. C. de Nupt. ex rescr. per. (f) d. l. 11. §. 6. ff. d. act. emt. (g)
 l. 2. C. quand. lic. ab emt. reced. (h) l. 5. vers. qua ita custodiri C.
 h. t. (i) Beust. d. sponsalib. part. 1. c. 58.

XLIII.

Disputant Dd. An prædictæ pœnæ arrhales etiam
 de Jure Canonico locum habeant? & quidam hoc ipsum
 negant; Verùm sufficit hoc non dissentire, & LL. Ci-
 viles hæc in parte à J. Canonico non esse correctas, un-
 de communis sententia idem de J. Can. obtinere dicit.
 Vid. Zoës. Comment. Digest. h. t. n. 9. Sanchez. lib. 1. Disp.
 30. n. 11. Dn. Habn ad Wesemb. 7. h. t. n. 5, in fin.

XLIV.

Altioris indaginis est: An Pater, promittens filii
 vel filix matrimonium, tradens vel accipiens ar-
 rhas ut matrimonium sequeretur, illas perdat, vel

F

acce-

acceptas in duplum restituat, si ille fecit, quantum potuit, ut filia ad impleat, filia verò nullo modo ad hoc induci potuit? Neg. Si enim Pater curam & diligentiam adhibuit, & fecit quicquid potuit, ut matrimonium illud contrahatur, tunc promissum merito censetur præsistum, (a) imò licet Pater, vel mediante juramento, seu sub poena promiserit, sese tali personæ, filium vel filiam matrimonio locaturum esse, nec tamen proinde Pater perjurium incurrit, utpote cujus promissioni, hæc tacita conditio inserta esse censetur, si filia etiam voluerit, (b) insuper difficultas quæ est impossibilitas in facti obligatione, excusat Patrem à poenâ, (c) nunc autem filiam, ut hunc vel illum in matrimonium ducat, Pater cogere nequit, ut dictum fuit supra in *l. XI. ut sic culpa in Patrem transferre nequeat, ubi verò nulla est culpa, ibi nullum locum habet poena.* (d)

(a) *§. si quis alium ubi Dd. comm. Inst. d. Inut. Stip. Pa-norm. in c. ex literis X. de sponsalib.* (b) *arg. c. tua sancti. 2. & 3. caus. 31. q. 2.* (c) *l. fin. §. idjuris ff. ad L. Rhod.* (d) *l. 22. C. d. poen. vid. Nob. Excell. atque Consultissimus Dn. Lauterbach Jctus exactissimæ eruditionis, lumen & decus Illustr. Acad. Tübing. in elegantissimo in Tractatu d. Arrhæ. l. 161.*

XLV.

Ceterum non locum habet poena arrharum quando sponsus vel sponsa præmoriatur, atque sic unius morte sponsalia impediuntur. (a) Sed non satis expedita est Quæstio. An arrhæ ab heredibus præmortui sponsi repeti possint? Resp. distingv. inter sponsalia de futuro, & sponsalia de præsentī, ita ut in illis, (etiamsi osculum intervenerit; quod quidem interdum impedit dotalem sponsalitiæ largitatis, sed non arrhæ repetitionem

nem (b) non verò in his restitutionis locus sit.

(a) l. 2. C. h. (b) l. 16. C. de donat. ante Nupt.

XLVI.

Denique & illud controversum est. An filius cætenas aureas, brachilia aut alia ornamenta pretiosa, quæ Pater ipsi dedit, ut sponsa suæ arrhæ loco *sumt Mahlschas* traderet, in communem hereditatem conferre teneatur? Resp. Quod nullum sit dubium quin conferre teneatur, (a) nisi probetur, intentionem Patris fuisse, ut filius illud præcipuum haberet, (b) *Sic etiam Dn. Scabini Lipsienses Responderunt his verbis So seyð ihr die Ehren Kleider / Ring und Mahlschas / so Euch bey eurer Ausstattung der Vater gegeben / in gemeine Theilung zu conferiren / oder Euch an eurem Antheil abkürzen zu lassen schuldig V. R. W.* (g) Non verò in festivitatem Nuptialem impensi, ea quippe quæ tempore nuptiarum consumpta sunt non conferuntur. (d)

(a) l. 2. 5. 12. l. 17. 19. C. d. Collat. Gail. l. 2. O. 91. n. 6. Nobilissimus Dn. Struv. Patronus meus, bene de me meritus. Synt. agm. Jurispr. Ex. 37. 0. 42. (b) *Auth. ex testamento C. d. collat.* (c) Dn. Carpzov. p. 3. c. 11. def. 12. in fin. (d) arg. l. 2. §. 2. ff. d. collat. l. 5. C. eod. Schneidew. ad S. quæd. actionis n. 46. J. d. Act. Bocerus cl. 3. disp. 13. 0. 52.

TH. ult.

Jamque etiam optatâ mea cymba potitur arenâ. Habes itaque *Benevole L.*, quæ (*ut patria meisq; Studium meum probarem*) de sponsalibus concinnare volui, & hæc non quidem pro materiæ dignitate, sed ingenii tenuitate proposuisse sufficiat, sicubi expectationi *Tue* non omni ex parte satisfeci, & non omnia ex Tripode Apollinis videbuntur dicta, cogitabis nullum in hominem tantam cadere perfectionem, quæ nõ suos quodammodo

F 2

modo

modo patiatur navos; quapropter amicè Te rogitò,
velis corrigenda corrigere, sed quod vera amantis est,
placidè & sine affectu, meliora sequar monentem,
interim.

— — — stet littore puppis,
SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM
IN SECU LA SECULORUM AMEN.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

Q. Si clandestinis Sponsalibus, quæ insciis, sive in-
vitis & reluctantibus Parentibus contracta sunt, concubitus
acceserit, An eo sic confirmentur, ut à Parentibus
Sponsæ dissolvi queant? Ego juris inspectâ strictâ ratione
affirmo. *vid. Job. à Sande Decis. Fris. lib. 2. Tit. 1. def. 4.*

2.

Sponsus in pactis dotalibus promiserat, quod nun-
quam vellet discedere à loco & domicilio sponsæ, futuræ
sux uxoris: Quæstionis itaque est, an sponsus, promissis
præcisè stare teneatur? Ratio dubitandi maxima est, quod
pacta sint servanda; Verùm eâ haud attentâ Negativam
sententiam defendam. 3.

Si post sponsalia purè contracta concubitus acceserit,
& sponsa conceperit: Sponsus verò ante consummatio-
nem vel confirmationem matrimonii diem suum obeat,
an partus iste posthumus sit legitimus? Affirm.

4.

Quâ pœnâ puniendus ille qui virginem nondum
viripotentem defloravit vel corripit? Resp. Humiliores
in metallum damnandi, honestiores in Insulam relegan-
di, per text. express. in l. 38. §. 3. ff. d. pœn.

5.

Amatoria literæ (*die Dußbrieff*) inter amantes pro-
bant matr; moniũ contrahendum, non verò contractum.

F I N I S.

AB:152995

ULB Halle

3


003 358 925



R

VD 17







16

Quod DEO fortunante FELICITER cedat!
DISCURSUM JURIDICUM
DE
SPONSALIBUS,

DECRETO ET AUTHORITY
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Jctorum
Ordinis in Almâ SALANA,

PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,

DN.
GEORGIO ADAMO Struben/

Jcto & Antecessore longè celeberrimo; Consiliario Saxo-
nico, Facultatis Juridicæ Seniore, Curia Provincialis ac
Scabinatus Assessore gravissimo;

*Dn. Patrono, Promotore ac Præceptore suo perpe-
tuo observantia cultu æternum venerando,*

Loco Exercitii Academici
Publico Eruditorum examini submitter

HENRICUS GOTHOFREDUS Gundelfinger/
NÖRDLINGENSIS, A. & R.

Ad diem Octobris
ANNO MDCCC LX.

JENÆ, Literis SAMUELIS KREBSII.

15

